

ciandos. 2. Petr. 2. de qua etiam loquitur Christus Matth. 10. *Timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Et Paulus Hebr. 10. *Horrendum est incidere in manus DEI viventis.*

CAPUT III.

De Humilitate.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Rom. 12. Quantoperè Parocho necessaria sit Humilitatis virtus, colligitur ex eo, quod superbis DEUS resistat, humilibus autem det gratiam Jacob. 4. Sine gratia autem DEI Parochus non possit resi-

stere tentationibus in Statu suo tam frequentibus, adeoque periculo se exponat turpissimi lapsus & publicæ confusionis. Con-
suevit enim DEUS superbos revocare ad sui agnitionem per publicam infamiam, ut notant SS. Patres, dum eos labi finit in manifestas turpitudines, ut sic confusi cum Psalmista dicant : *Priusquam humiliarer, ego deliqui : bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Psal. 118.* Videre hoc fuit in Petro Apostolorum Principe, ut in memorato Rege Davide, quorum alter per trinam Magistri sui negationem, alter per turpissimum carnis lapsum ad suæ fragilitatis cognitionem fuit reductus.

ductus. Unde S. Augustinus
lib. 14. de Civit. DEI cap. 13.
audeo dicere, superbis esse utile ca-
dere in aliquod apertum manife-
stumque peccatum, unde sibi displi-
ceant, qui jam sibi placendo ceci-
derant.

Definitur autem Humilitas
 à S. Bernardo *tract. de 12. grad.*
Humil. Virtus, qua quis verissimâ
sui cognitione sibi ipsi vilescit.
 à S. Thoma Viro. *Virtus refræ-*
nans immoderatum excellentia ap-
petitum, hominémque subijciens
DEO propter ipsum, & proximo
propter DEUM. Præcipui illius
 actus numerantur hi duo: Pri-
 mus est agnitio propriæ vilitatis,
 fragilitatis & nihili tam natu-
 ralis

ralis quàm moralis; quod in se agnovit Patriarcha Abraham *Genes. 18.* cum ait: *loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Et S. Paulus *2. Cor. 3.* dicens: *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Alter actus ex primo sequitur, & consistit in hoc, quod quis vilem se ac fragilem ab omnibus haberi velit, nunquam de seipso aut de rebus suis honorificè loquatur, laudes hominum non desideret, nec in eis sibi complaceat, exteriùs viliora quæque pro conditione Statûs sui eligat, in actionibus suis singularitatem vitet, proprii judicij tenacitatem fugiat, defectus suos
sibi

sibi intimari libenter audiat, ac denique omnia, quæ per ipsum bona gesta sunt, DEO soli adscribat.

CAPUT IV.

De Mortificatione.

OBsecro vos fratres per misericordiam DEI, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, DEO placentem. Rom. 12. Describi potest Mortificatio, quod sit quædam repressio nimiae vivacitatis hominis inferioris & appetitûs sensitivi. Distinguitur enim duplex in homine appetitus, *Rationalis* scilicet & *Sensitivus*. Prior vocatur homo

Su-